

Prolusio inauguralis qua D. Jo. Wilh. Albrecht ... de loco quodam Hippocratis male explicato agit et panegyrim medicam. (Cum vita candidati C.H. Papen) / [Jo. Wilh Albrecht].

Contributors

Albrecht, Jo. Wilh., 1703-1736.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Apud Abramum Vandenhoeck, [1735]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nkwx49wd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

PROLVSIO INAVGVRALIS

QVA

D. IO. WILH. ALBRECHT

ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN.

P. P. O.

DE

LOCO QVODAM HIPPOCRATIS MALE
EXPLICATO

AGIT

ET PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT.



GOTTINGAE

Apud ABRAMVM VANDENHOECK, *Academiae Typograp.*

BY ORDER OF THE UNIVERSITY

OF

D. JO. WILH. ALBRECHT

ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN.

P. P. O.

D.

LOGO QVODAM TURKICIS MUSE

EXEMPLIS

ET

ET FANEGE IN MIDLAM

INDIGIT



GOTTINGAE

APUD ABRAMUM VANDENHOEK, Academicum


EX quo pessima invaluit licentia, quaevis veterum monumenta pro lubitu, &, uti è re sua cuique esse videtur, interpretandi, nihil tam sacrum, nihil tam sapienter, nihil tam aperte dictum ad sequiorem pervenire potest aetatem, quod non misere torqueri, & vanissimis quibusque firmandis opinionibus aptari cernamus. Quemadmodum enim inter Christianos nulla adeo desperatae pravitatis haeresis est, quae non sua dogmata expressis verbis in Sacro Codice delineari contendat; ita multi medicorum, ubi nescio quid febriculosi somnii specioso novae hypotheseos & rationalis titulo commendare student, non levem auctoritatem suis commentis accedere existimant, si ejusdem opinionis jam apud Hippocratem extare testimonia alios, ut credant, inducere possunt; quo fit, ut gravissimo seni adeo puerilia saepe affingantur, ut

Si revocare gradum superasque evadere ad auras,
 & famam, per secula celebratam, indigne lacerari videre posset, haec verecundia suffusus respuendo, aut graeci sermo-

nis inscientiam his interpretibus, aut impudentiam summam esset exprobraturus.

Cujus rei unum ex multis videamus exemplum. Vir acerrimi ingenii, sed eorum, quae semel dixerat, aequo tenacior, STAHLIUS, dum propriae, quam sibi effinxerat, hypothesei patrocinium quaerit, Programma, quo Anatomiam Anatomiae se demonstraturum indicat, ita orditur:

„ Notanter HIPPOCRATES 6, Epidem. 5. Ἀπάιδεutos ἢ
 „ φύσις εὐῶσα καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δεόντα ποιεῖ. Cum à nullo
 „ informata sit NATURA, neque quicquam didicerit, ea ta-
 „ men, quibus opus est, efficit. Efficere, & operari dicit,
 „ neque incongrua & aliena, sed quae necessaria sint,
 „ quae convenient: Operari autem ipsam per se, non ex
 „ consilio (intellige alieno) lin. praeced. monet. Quae
 verba ita interpretatur, ut Hippocrates videatur haec duo
 defendere: Naturam cum intelligentia quadam, & ex pro-
 prio consilio functiones naturales moderari & efficere:
 Eandemque Naturam nihil esse aliud, quam Animam ho-
 minis rationalem. Primum patet ex adjecto (intellige alie-
 no), & alterum ex ipsa hujus loci citatione. Ni enim hic
 animam quaereret, prorsus inepta esset citatio. Quod e-
 nim omnes fatentur, maximam esse vim Naturae, tum
 in sanitate conservanda, tum etiam in pellendis morbis, ad
 id probandum non excitandus fuisset HIPPOCRATES. Neu-
 trum horum verba allegata, sed longe diversum quid ab
 eo, quod vult noster Auctor, significare, faciam perspi-
 cuum.

cum. Quod, ut eo rectius fiat, locum, quem ille nobis exhibuit mutilum, integrum apponam: Ita vero se habet: Ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους, οὐκ ἐκ διανοίας, τὰ μὲν οἷον τὸ σκαρδαμύσσειν, τὰ δὲ καὶ ἡ γλῶσσα ὑπεργέει, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιεῖ. *Natura sibi ipsi inuenit agendi modos, non ex intelligentia (aut consilio); partim ut nictatio, partim ut ea, quae lingua peragit, & ut id genus alia. Natura citra disciplinam & à nullo informata facit ea, quae fieri oportet.* Quis hic non videt, vaferrimum nostrum interpretem hic studio omisisse ea, quae id, quod struere tentabat, funditus evertissent? Illud οὐκ ἐκ διανοίας explicat per non ex consilio alieno; cum tamen διάνοια nunquam alienum possit, sed semper denotare debeat, consilium proprium, intelligentiam, cognitionem, intellectum, unam scilicet ex animae affectionibus, quae media est inter νόησιν & δόξαν.

Quae significatio infinitis exemplis, ut altera illa ne unico quidem, probari potest. Ut adeo ea potius sit mens HIPPOCRATIS, ut Naturam, tanquam causam brutam, operari, absque ulla cognitione ejus, quod peragit, & sine ulla conscientia, pronunciet. Hoc enim perspicue verba ipsa docent, & explanatius declarant ea, quae proxime sequuntur, & cum quibus istam operationem comparat Medicorum sapientissimus. Hanc fieri dicit, ut nictatio, & ea, quae lingua peragit: quae utiliter quidem, sed non advertentibus exercentur. Nam si GALENO, cujus magna

apud Nostrum est auctoritas, fides adhibenda, hae ἑφοδοὶ γίνονται, οὐχ ὥς ἡμεῖς διανοούμενοί τε καὶ προαιρούμενοι πράττομεν. Haec fiunt, non uti nos ratione & praevia deliberatione aliquid agimus. Sed παραχρῆμα τοῖς γεννηθεῖσιν εὐθέως ὑπάρχει ζῶσις ἀδιδάκτως animalibus, simulac in lucem eduntur, insunt, sine ulla informatione. Qui totum GALENI Commentarium ad hunc locum HIPPOCRATIS probe confiderat, facile perspiciet, fabulam illam, de animae imperio in functiones naturales, prudentissimis Viris nunquam venisse in mentem; sed totos esse in eo, ut doceant, peragere, quae corpori sint proficua, Naturam, sed talem, quae nec ejus, quod facit, nec instrumentorum, quibus utitur, ullam habeat notitiam. Et quomodo aliter sentire potuissent in ista obscuritate temporum, quibus nemo adhuc excogitaverat distinctionem subtilissimam inter λόγον & λογισμὸν, nec illam de existimationibus moralibus lepidam doctrinam, quarum ea hic est necessitas, ut his, qui rationem suam subicere non valet, reliqua hujus theoriae mysteria nec comprehendere, nec credere queat. Et haec quidem praefari volui occasione speciminis inauguralis, quod editurus est

CHRISTOPHORVS HENRICVS PAPEN.

Natus is est hic Gottingae anno 1709, Patre **GEORGIO HENRICO PAPEN**, Doctore Medicinae, & Medico

pro-

provinciali celeberrimo, & matre *DOROTHEA CATHARINA*, e familia *WEHRHAGIANA*.

Quorum parentum optimorum prima cura fuit atque sollicitudo, ut tenellus animus iis praeceptis, quibus ad veram & aeternam beatitatem panditur via, imbueretur; huic proxima, ut de eligendo vitae & studiorum genere statuerent. Quo facto, aptum litteris colendis ingenium agnoscentes, quod permittebat loci felicitas, celeberrimis erudiendum tradiderunt Praeceptoribus. Ex quibus Viri summe reverendi *HEVMANNI* Institutioni fidelissimae plurimum se debere grato animo profitetur, & reliquorum etiam ejusdem Gymnasii Professorum, *STEMPELII*, *LEONHARDI*, *WEHNHERI* industriam & dexteritatem satis depraedicare non potest. Horum enim opera factum est, ut Scholasticae Scientiae, qua ad altiora studia suscipienda praeparari debet juvenis, copiam sibi compararet uberrimam.

His tandem viris, quos per septennium sedulo audierat, cum valedixisset, anno 1729 Jenam, tanquam ad bonarum artium mercaturam, se contulit; ubi ad culturam Artis salutaris, quam partim haereditario quodam amore, partim monitis providi Parentis permotus, jam dudum reliquis praetulerat, accessit. In qua re usus est ducibus, fidelissimis pariter ac doctissimis viris. Quemadmodum vero certus quidam servandus est ordo, tum in caeteris rebus, si optatam cupimus contingere metam, tum vero maxime in re Medica; ita primum celeberrimi *TEICHMEYERI* & doctissimi *HAMBERGERI* praelectionibus Physiologicis & Physicis diligentissime interfuit, nec minus in Materiae Medi-

cae demonstrationibus eorundem Institutioni sedulum se prae-
buit auditorem. Doctrinam praeterea Anatomicam,
Chirurgicam, Botanicam, Chemicam & Pathologicam,
quamlibet suo ordine, iisdem doctoribus persequutus est.
Utriusque sexus cadavera, demonstrante jam laudato TEICH-
MEYERO, cultro anatomico disseccari vidit. Absoluto sic di-
cto studiorum cursu, à Parente in patriam revocatus, ejus-
dem ductu in Praxi clinica per semestre desudavit. Quo tem-
pore elapso, anno 1731 Halam demigravit; ubi Virorum,
fama & meritis conspicuorum HOFFMANNI, JUNCKERI &
CASSEBOHMII Scholas practicas, Casuales & Anatomicas, ea,
qua decet, assiduitate salutavit. Exactis sic annis Acade-
micis, Hala in patriam redux, ab anno 1732 in hac ipsa
urbe visitandis & curandis aegrotis, omnium consensu, uti-
lissimam collocavit operam.

Cum denique animum induxisset, jura & Privilegia Doctoralia con-
sequi, atque hoc desiderium modeste exposuisset, *Celsissimus atque Po-*
tentissimus Princeps ac Dominus

GEORGIVS II.

Rex Magnae Britanniae, Franciae & Hiberniae, Defensor Fidei, Dux
Brunsvicensis & Luneburgensis, S. R. I. Archithesaurarius & Elector,
Dominus meus longe clementissimus, me hujus Actus solennis moderato-
rem & Brabeutam clementissime constituit. Candidatus noster in exami-
nibus, tam theoretico, quam practico, locupletissimam eorum, quae
Medicum scire decet, exhibuit cognitionem. Quare ad habendam Dispu-
tationem inauguralem optimo jure admissus est. Disputabit vero hoc
proximo die 3. Decembris, *de Spiritu Vini, ejusque usu & abusu.* Rogan-
tur itaque COMMISSARIUS ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRIS-
SIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROGERES, ET
GENEOSISSIMI AC NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, ut prae-
sentes ac frequentes condecorare haec solennia ne dedignentur. Dab. d.
1. Decembris. M. DCCXXXV.